

EXPOSITIO ECCLESIASTICA

tho & Luca narratur, idque non sine magno ut in speciem videtur) discrimine, hoc in primis videndum est. b. deducantur ambo Christi genealogiam à Ioseph: an vero Matthæus tantum, Lucas vero à Maria. Qui hoc posterius sentiunt, speciosum habent discriminis prætextum in diuersis nominibus: & cette prima specie nihil minus videtur quam genealogia una eademque narrari, quum tantopere Lucas à Matthæo differat. Nam à Davide usque ad Salathiel, & rursus a Zorobabel usque ad Ioseph alios prius nominat. Deinde obtendunt absurdum fuisse in re non necessaria tantum ponere laboris ut genus Iosephi, qui tamen pater Christi non erat, bis recitatetur. Quod autem Matthæus propter Ioseph recensuerit, ita excusat, factum scilicet fuisse multorum causa, qui eum Christi esse patrem, adhuc opinabantur. Atqui ridiculum fuisse ista indulgentia souere perniciolum errorem: & contextus palam repugnat. Nam simus ac ventum est ad genealogia finem, docet Matthæus non ex semine Iosephi, sed arcana Spiritus virtute Christum in utero Virginis fuisse conceptum, intra. d. 21. Quare si statet eorum ratio, stultitiae vel incognitiae posset argui Matthæus, ut qui frustra recitat unde originem duxerit Ioseph. Atqui nondum soluta est eorum obiectio, quod progenies Iosephi nihil ad Christum pertinet. Tristitia & vulgo nota responso est, in persona Iosephi comprehendendi etiam Mariæ genus: quia lex iubebat unumquemque ex sua tribu uxorem duce-re. b. Sic enim habet Moses: Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua: & cunctæ semina de eadem tribu maritos accipient, ut haereditas permaneat in familiis. Numer. 36. c. 78. c. Exciunt illi contra legem hanc omnibus fere seculis neglectam fuisse, sed argumenta quibus nituntur, friuola sunt. Citant exemplum illud quod vnde decim tribus iure-iurando promiserint se Beniamitis nullam daturos uxorem. Iud. 21. a. 1. Sed respondendum est, perperam & inscire hoc extraordinarium ab illis in communem regulam trahi. Necesse enim erat, excisa una tribu mutuum fieri populi corpus nisi hoc remedio subuentum ultime necessitati foret. Non est igitur lex communis hic spectanda. Obiciunt præterea, Mariam Christi matrem cognatam fuisse Elisabeth, quam prius testatus est Lucas fuisse ex filiabus Aharon, cap. 1. a. 5. Hic quoque facilis est responsio, pueris ex tribu Iuda vel alia qualibet licet fuisse abnubere in tribum Sacerdotalem: quia non impedit illa ratio, quæ in Lege exprimitur, ne scilicet mulier hereditatem suam alio quam ad tribules suo transferret. Sic ex uxore Iotadæ summi sacerdotis sacra historia ex regio genere ortam fuisse narrat, 2. Paralipomen. 22. d. 11. Nihil ergo mirum vel insolitum si mater Elisabeth elocata fuit sacerdoti. Ergo duæ istæ genealogiae à Matthæo & Luca descriptæ, optime inter se conueniunt: quatuor tamen discrimina in illis notanda sunt. Primum est, quod Lucas ordine retrogradò (ut loquuntur) ab ultimo ad primum ascendit, quum Matthæus ab ipsa origine incipiat. Alterum est, quod Matthæus narrationem suam ultra sanctum & electum Abrahæ genus non extendit: Lucas vero ad Adam usque progreditur. Tertium, quod legale genus Matthæus tractat, & sibi etiam quosdam rescindere permittit ex recitationis serie, quod Lectorum memoria consulere volens, tres solum testaradecadas enumerat: Lucas vero naturale genus magis exacte persequitur. Quarum & postremum, quod interdum de ipsis loquentes hominibus, in eorum tamen nominibus variat. De primo discrimine, quando nihil difficultatis habet, plus verborum facere superuacuum est. Secundum optimæ ratione non caret. Nam quia Deus sibi genus Abrahæ delegaverat, vnde nasceretur mundi Redemptor & salutis promissio illius quodammodo inclusa erat usque ad Christi aduentum, non egreditur Matthæus ultra constitutos à Deo fines. Tenendum est quod dicit Paulus, Christum ministrum esse Circuncisionis ad præstandam salutem, quæ promissa fuerat sanctis patribus, Rom. 15. b. 4. Cur concinit illud Christi dictum, salutem ex Iudeis esse, Ioha. 4. c. 22. Eum itaque Matthæus in sacro illo genere conspicendum proponit, cui proprie destinatus erat. Ideo in Matthæi catalogo considerandum est nobis Dei fœdus, quo semen Abrahæ sibi in populum cooptavit, ut a reliquis gentibus quasi interposita maceria distinctum esset. Lucas autem alias respexit: quamus enim ex quo fœdus suum Deus cum Abraham pepigerat, peculiariter eius semini promissus fuerit Redemptor: scimus tamen a primi hominis defectione fuisse omnibus necessarium: sicuti etiam tunc destinatus fuit toti mundo. Cæterum admirabili Dei consilio factum est, ut Christum Lucas nobis Adæ filium proponeret: eundem vero Matthæus includeret in una Abrahæ familia. Nihil enim nobis prodebet, Christum esse datum à Patre, salutis authorem, nisi promiscue esset omnibus communis. Deinde non esset verum illud Apostoli, ipsum fuisse heri, & hodie esse, & usque in secula futurum, (Hebr. 13. b. 8.) nisi ad omnes ætates ab ipsa mundi creatione diffusa esset eius virtus & gratia. Scimus ergo patefactam & exhibitam toti humano generi in Christo salutem esse: quia filius Noe & filius Adæ non abs te vocatur. Quia tamen in Dei verbo quærendus est, non temere per hunc nostrum Matthæum Spiritus ad sanctum Abrahæ genus nos revocat, ubi thesaurus vita eterna vna cum Christo ad tempus depositus fuit. Quod ad tertium discrimen attinet, minime dubium est, quin alium reneat ordinem Matthæus, quam Lucas: alter enim Davidi Solonem, alter Nathan subnectit: vnde clare apparet, diuersas lineas constitui. Hanc dislidij speciem ita conciliant boni & periti interpres, quod Matthæus à naturali progenie discedens, quam sequitur Lucas, legalem genealogiam recenscat. Legalem vero genealogiam interpretamur, quæ factum est, utius regni ad Salathiel transiret. Quod autem Eusebius libri. 1. Histor. Ecclesiastica sententia Aphricani genealogiam quæ à Luca describitur, legalem potius nominat, in eundem sensum reddit: neque enim aliud sibi vult quam legitima ratione, quod in persona Solomoni stabilitum fuerat regnum, tandem ad Salathiel delapsum esse. Sed etius magisque dextre loquuntur, qui legalem ordinem à Matthæo proditum esse dicunt: quia Solonem continuo post Dauidem nominans, non obseruat a quibus secundum carnem continua serie genitus sit Christus, sed quomodo ex Solomone & alijs regibus descendenter, ut legitimus esset successor, in cuius manu regni perpetuitas stabilienda erat ex Dei pacto. Probabilis autem eorum opinio est, qui morte Ochozia finitam fuisse Solomoni stirpem existimant. Quod ex Iudæorum commentariis referunt nonnulli, mandatum fuisse à Dauidi, ut si quando deficeret ex Solomone soboles, regia potestas duceretur ad posterios Nathan, in medio relinqu-

mus: tantum sumimus quod certum est, regni successionem non fuisse confusam, sed distinctos fuisse gradus. Iam quum narrat Sacra historia, post cædem Ochozia, regnum a matre eius Athalia fuisse occupatum, & sublatum è medio totum regium genus, (2. Reg. 11. a. 1.) plusquam probabile est à muliere dominationis cupida impias illas & nefarias cædes fuisse patratas in ordinem priuatum coacta, regnum alio translatum videtur. Ergo si Ochozia superstes fuisse filius, libenter auia sub tunc colore tranquille sine inuidia & periculo regnasset. Quod ergo extremis sceleribus infamem se & exosam reddit, desperationis signum est: quia domi regnum tenere nō poterat. Cæterum quod Iosias Ochozia dicitur filius, (2. Paralipomen. 21. d. 9.) ratio est, quia gradu proximus erat: ut merito censeri deberet verus & nativus regni hæres. Præterquam enim quod Athalia, si auia fuisse demus, libenter abusa titulo infantis fuisse, quis mediocris iudicio prædictus verisimile putabit naturalem regis filium potuisse à Sacerdote Ioiada abscondi, ut non magis sollicite eum auia quereret? Quin potius si quis prudenter omnia expendat, colligere promptum est ex alia linea fuisse proximum regni hæredem. Atque id sibi volunt verba Ioiada: Regnabit filius regis secundum pactum Domini cum Dauidi: (2. Paralipomen. 23. a. 3.) ac si diceret, indignum esse nefas, si mulier alienigena sceptrum ad se raperet, quod Deus stare voluerat in familia Dauidis. Quare nihil absurdum est si Christi genus deducatur Lucas à Nathan: quia fieri potest ut Solomonis genus, quantum ad regni successionem spectat, intercederit. Nunc si quis obiciat Iesum non posse agnosciri Melchiam qui promissus erat, nisi sit ex Solomonis posteris, quem certum est fuisse typum Christi: in promptu est solutio: quantum naturaliter ex Solomone non fuerit genitus, legali tamen ordine censeri eius filium, quia ex regibus originem duxit. Sed tanta in nominibus diversitas multos valde perturbat. Nam à Dauidे usque ad Ioseph nullus inter duos Evangelistas nisi in Salathiel & Zorobabel consensus apparet. Excusatio quæ adferri solet, inde ortum esse discrimen, quia Iudei ut plurimum binomines erant, aegre à multis admittitur. Atqui quum hodie nobis incognita sit ducenda texendæque genealogia ratio quam sequutus est Matthæus, nihil mirum est, si non assequimur quomodo in singulis nominibus ambo vel conueniant, vel differant: nec tamen dubitari potest quin à tempore Babylonici exilij quosdam diuersis nominibus eosdem homines recensant: in Salathiel vero & Zorobabel eadem consulto retenta fuisse nomina verisimile est propter mutatum populi statum: quia tunc regia maiestas extinta fuit. Tenuis vero dominationis umbra quum residua esset, apparuit insignis mutatio, quæ fideles admoneret sperandum esse aliud præstantius regnum quam visibile illud Solomonis quod brevi tempore floruerat. Iam hoc quoque notare operæ pretium est, nihil esse absurdum quod plures in suo catalogo numerat Lucas quam Matthæus: quando statum est plures numeros esse in naturali generatione quam legali. Huc etiam accedit quod Matthæus quum in tres classes distribuere vellit Christi genealogiam, & singulis classibus attribuere 14. capita, liberum sibi fecit quorūdam nomina præterire quæ Lucas omittit non debuit, quum se ad legem illam non adstringeret: haec tenus de Christi genealogia. Nunc tractandum restat, cur tribus ordinibus complexus sit Matthæus totam Christi genealogiam. Nunc tractandum restat, cur tribus ordinibus complexus sit Matthæus totam Christi genealogiam, & singulos denos quaternos homines attribuerit: hoc facere voluit non tantum ut lectorum memoria cōsuleret, sed etiam ut triplicem populi statum diserte notaret, ex quo promissus fuerat Christus Abrahæ usque ad tempus plenitudinis, quo patefactus fuit in carne. Quamvis enim usque ad Dauidem tribus Iuda honore reliquias excelleret, nullum tamen principatum tenuit. In Dauidem præter spem omnium emersit regia maiestas, quæ sterit usque ad Iechoniam: ab eo tempore superfluit in tribu Iuda aliqua dignitas & gubernatio quæ usque ad Messia aduentum erectas teneret piorum mentes.

2. Abraham autem genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.

ABRAHAM AVTEM GENIT ISAAC. M. Narrat Moses Abraham genuisse non Isaac tantum, sed & Ismaelem, Genes. 16. d. 15. Veruna ad generationem Christi non carnis propagatio sufficiebat, sed electio diuina requirebatur. Propterea dixit Abrahæ Deus: In Isaac vocabitur tibi semen: (Gen. 21. b. 12. a. quod Apostolus Paulus in medium profert, dum inter carnales Abrahæ filios & spirituales distinguit, Roman. 9. b. 7. m. Et huic Isaac, licet esset posterior & natu & conditione, promisit etiā Deus semen benedictum: Benedicetur, inquit, in semine tuo omnes gentes terræ, Genes. 26. 1. 4. Et sane miraculosa huius nativitas ex centenario viro & uxore nonagenaria haec tenus, præterea sterili, iam tum preludebat miraculose Christi nativitati: quemadmodum etiam & Iohannis Baptista nativitas, Luc. 1. d. 36. Deinde & admirabilis illa Isaaci obedientia, qua primum Deo, deinde etiam patri, ut immolaretur, morem gessit, Genes. 22. b. 9. imaginem habuit Christi, qui Patri ad mortem usque obediens factus est. Philip. 2. a. 8. **ISAAC AVTEM GENIT IACOB.** M. Genuit autem Esau, Genes. 25. c. 24. (idque eodem partu. Sed non ex Esau Christus. Iacob ad hanc dignitatem delectus est, licet esset posterior & natu & conditione vitæ. Sic enim Deus ait per Prophetam, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, Mal. 1. a. 2. & Roman. 9. c. 19. vbi iterum videmus liberam electionem Dei. Et huic Iacob facta est promissio: Et benedicetur in te & semine tuo cunctæ tribus terræ. Genes. 28. c. 14. **IACOB AVTEM GENIT IUDAM.** M. Neque is fuit primogenitus, sed quarto demum loco, nec per Rachel marito dilectam, sed per Leah natu, (Genes. 29. d. 15.) & tamen ex eo nasciturum Christum prædixerat Iacob Patriarcha: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux detemore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium, Genes. 49. b. 10. **ET FRATRES EIUS.** c. Quum Euangelista Ismaelem Abrahæ primogenitum silentio tegat, & Esau, qui natura ordine superior erat fratre suo Iacob, non temere duodecim Patriarchis locum in genealogia assignat, quum omnes Deus simili adoptionis gratia dignatus esset. Significat ergo benedictionem in Christo promissam non ad solam tribum Iuda spectare, sed communem esse omnibus filiis Iacob, quos Deus in Ecclesiam suam collegit, quum Ismael & Esau facti essent